



Praxis Bene Meditandi

Berzetti, Nicola

Coloniae Agrippinae, 1658

Modus breviter percurrendi mysteria.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56496)

*Modus breviter percurrendi
mysteria.*

Quidquid hactenus est dictum, partim eo factum est, ut complura capita suggererentur, ex quibus materia meditationis semel instituendæ petatur; partim etiam ut qui volet circa unum idemque mysterium pluribus diebus versari, habeat quo se utiliter occupet. verum si quis paucioribus contentus esset, & unicâ vice totum aliquod mysterium percurrere vellet, quod satis aptè fieret ipsis festis, quæ Ecclesia ad particularia quædam recolenda mysteria instituit; arripere posset veluti discursus sui
capita,

capita, circumstantias illas, quæ considerari consueverunt in actionibus quibusdam ab eis, qui de Christianis moribus & operibus moralibus tractant, continenturque hoc versu,

Quis, Quid, Vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, Quando.

Ponderando benè quæ persona sit illa, cui præsens mysterium convenit: examinando quam actionem peragat, ubi, quibus auxilijs, quo fine, quo modo, quo tempore: E. G. festo Nativitatis considerando, quis sit ille qui nascitur, quid sit nasci, ubi nascatur, cur nasci velit, quo modo, quo tempore nascatur.